

RESVRRECTIO  
MORTVORVM

---

PROGRAMMATE PASCHALI

ANNO M DCC XXIX.

PROPOSITA

IN

ACADEMIA VVITTENBERGENSI.

---



---

LITERIS ET IMPENSIS GERDESIÆ, VIDUÆ.

.los  
eol. evang.

n.  
345,20



OTTON VON BERNHARDT  
14. VON OTTON VON BERNHARDT

OTTON VON BERNHARDT  
14. VON OTTON VON BERNHARDT



Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden





uanquam sit in propatulo, vix numerum eorum iniri a quoquam posse, quæ in doctrina Christiana, ut indubitato certa, humano autem ingenio inaccessa, occurrunt; post articulum tamen de S S. Trinitate, & incarnationem Filii DEI, vix aliquis datur, ad quem credendum mens nostra ægrius induci se patiatur, quam, corpora nostra, in pulveres resoluta, aliquando resuscitatum iri. *Ut enim carnis restitutio negetur, de una omnium Philosophorum Schola sumitur, juxta TERTULLIANVM. a)* PLINIO mortuorum resurrectio *puerile deliramentum*, CÆCILIO apud MINVT. FELICEM, *b)* *anilis fabula* dicitur. Cæteri, non-Christianos inter, etiam sapientissimi, de resurrectione, tanquam de opinione quadam ipsi naturæ, ac rectæ rationi contraria, cui nemo facile prudens calculum adjecerit, loquuntur. AESCHYLVS, Poeta ceteroqui non malus: ἀπαξ, inquit, θανόντος ἔκ ἐστὶν ἀνάστασις. CATVLLVS *c)* autem:

*Soles occidere ac redire possunt:  
Nobis cum semel occidit brevis lux,  
Nox est perpetua una dormienda.*

Quæ postrema PROPERTII verbis respondent, cum ait:

*Nox tibi longa venit, nec reditura dies.*

Brixie monumentum extare, CAMERARIVS *d)* docet, cui femina quædam e gente Portia inscribi curavit: VALETE MATRONÆ, MATRESQVE FAMILIAS! VIXI, ET VLTURA VITAM NIL CREDIDI. Nec aliud

A 2

quid

*a)* de *Præser. c. 2.* *b)* in *Arnob. L. XI.* *c)* *Carm. V.* *d)* *Cent. I. Hor. Subsec. c. 97. pag. 452.*



quid 1. *Thess.* IV, 13. Apostolus insinuat, cum ait, Gentiles ἐλπίδα μὴ ἔχειν τῆς ἀναστάσεως, prout quidem CHRYSOSTOMVS, & qui hunc perpetuo sequitur, THEOPHYLACTVS, verba interpretantur. Quapropter quum martyrum quorundam in Gallia combustorum cineres per Rhodanum spargerentur, auctores, juxta & spectatores, supplicii dicebant: *Videamus nunc, num resurgant*, quod EVSEBIUS e) refert. In nulla nempe re, ut HIPPONENSIS inquit, *tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè, & contentiosè contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione.* f)

Ac sapientes quidem Gentilium omittimus, qui fabulis imbuti Græcis, & Ægyptiacis, *aut omnino nihil*, ut LACTANTIUS loquitur g) *sciunt, idque ipsum pro summa scientia præ se ferunt; aut, qui non perspiciunt etiam, quæ sciunt: aut qui, quoniam se putant scire, quæ nesciunt, inepte arroganterque desipiunt:* Hoc mirum, DEI populum, Judæos nempe, post suum e Babyloniis reditum, doctrinæ purioris aliquandiu tenacissimos, hunc quidem, tantum non primum omnium, errorem admisisse. In his enim ii, qui *Sadducei & Justitiani* dicebantur, propalam statuebant, *μὴ εἶναι ἀνάστασιν*, Matth. XXIII, 23. Et licet gravissimus esset, & capitalis error, tam alte tamen animis eorum infederat, ut ne ipsius quidem Servatoris opera, & auctoritate, evelli potuerit. Posteaquam enim eum ab EPICUREIS acceperant, retinuerunt eum, ac pertinaciter defenderunt, etiam postquam ad silentium & confusionem redacti fuerant a Christo. *Act.* XXIII, 7. sq.

Interim negari non potest, etiam Græcos, barbaros, & non-Christianos inter, extitisse permultos, qui de carnis resurrectione notionem habuisse videntur  
mini-

e) de Præp. Evang. L. VII. r. f) ad Psalm. LXXXVIII. Serm. II.  
g) L. VI. c. 18. de vero Dei cultu.



*videntur*, etiam vere fuerunt mortua, aut in vitam redierunt omnino. Multa hic fiunt *apparenter*, quæ pro veris habenda non sunt. Jactent PLATO Eren Armenium, SVIDAS Æsopum, ÆNAPIVS puellam, PLVTARCHVS Anthyllum & Thespesium revixisse: recte censet FECHTIVS *b)* jactata hæc, non probata, fuisse. Bene MARCVS MARCI: *c)* *Non semper, inquit, vita humana exuitur corpus, vitæ functionibus orbatum, verum in eo quandoque, ceu in ellychnio, aut cinere, sopita latet scintilla: A qua rursus vitæ flamma exsufflatur, & reualefcit, prout in Syncope, & suffocatione uteri, contingit.* Hac ipsa in urbe, seculo abhinc, parum abfuit, quin Vitriarius aliquis efferretur pro mortuo. Post acrem enim naturæ cum morbo colluctationem expalluerat, sermonem, motumque, ac sensum, amiserat. Jacebat in strato; videbatur animam exhalasse. Jam conclamatum erat: componebatur funus: aderant Libitinæ: indicebantur exequiæ. Jam præforibus aderant, qui lugubria canerent, in ædibus, qui feretro collum submittere vellent, intra & extra ædes, qui exequias ituri erant, cum is specietenus mortuus ad seipsum redit, aperit oculos, sentit, se arcæ jam ferali esse inclusum, pulsat operculum: removetur: surgit cum consternatione omnium, non vivus modo, sed & incolumis & salvus, aliquot annis supervicturus. Hæc cum sub oculis Majorum nostrorum evenerint, & literarum etiam monumentis consignata extent, in dubium nequeunt vocari. Interim aliquod resurrectionis simulacrum & instar, non resurrectionem veram & justam, exhibent. Syncopen passus, non vita functus fuerat, Vitriarius, cujusmodi cum alii etiam utriusque sexus homines pati possint, si plura etiam putatitiæ resurrectionis exempla deprehendantur, quid mirum?

Interim ab his talibus pro vera, omnisque cum fuci, tum speciei, experte resurrectione firmum quoddam

B

dam

*b)* in Sched. Sacr. Exercit. cit. *c)* l. c. p. 390.



dam, solidumque argumentum peti non potest. Illa certe, quæ supra, de artificiali quadam, hinc plantarum, hinc animantium, resurrectione afferbantur, etiam si habeantur pro veris, ultra *probabilitatem* tamen, ut ita loqui liceat, in asserendo non procedunt. Hoc enim solum docent, quod, cum talia effici per artem possint, hoc minus dubitari debeat, per infinitam Numinis potentiam, & voluntatem, evenire posse. Ceterum de vera, eademque omnium hominum, resurrectione, nisi e verbo Dei, & per divinam revelationem, non constat. Esto, Pythagoram & Platonem, aliosque, aliqua veritati affinia de hoc articulo tradidisse: e suo illos ingenio deprompsisse, non est, quod arbitremur. E Mosis & Prophetarum scriptis suffurati velut notitiam fuerant, quam alioqui a Deo sigillatim se accepisse gloriabantur, ut recte CONSTANTINUS M. d) dicebat. A Pythagoræis, & Græcis, ad Italos & Romanos manavit.

Qui vero, & per quos ad veteres Germanos? Hic, fateor, hæere mihi æquam, nec suspicando mihi satisfacere ipsi. Minime omnium assequor, unde, ante Servatorem natum, & prædicationem Evangelii, per totum terrarum orbem habuerint. Ad ingenium eorum tandem mihi recurrendum esse intelligo, quod cum moris, ac instituti, tum traditionis majorum, usque adeo tenax fuisse, magno consensu scriptores docent, ut etiam literis nihil sibi opus esse crediderint. Illam igitur veritatis divinæ particulam, quum ad contemnendam mortem, & excitandam virtutem, plurimum facere intelligerent, eandem a majoribus traditam retinuerunt constanter. Qua quidem in suspicione mirifice me confirmavit PHIL. CLUVERII auctoritas, qui, adducta Celtarum, & veterum Germanorum, de immortalitate animæ, ac vitæ  
me-

d) Vid. Append. ad Histor. Eccl. Euseb. in eaque Oratio Constant. ad Sanctorum Coetum.



melioris spe, opinione: *Hanc, inquit, Theologiam non in Celtica demum finxerunt sibi Celtarum Sapientes, quo meliores ad bella redderent homines, ad virtutemque, mortis metu neglecto, excitarent; uti Auctores quidam Romani existimarent, sed NB. jam inde a primo mortalium Adamo ad omnes pariter posteros profluxit. e) Addo tamen commercia cum Iudæis, quorum eos minime fuisse expertes, vel sola Regis Agrippæ auctoritate, videor mihi posse conficere, qui in sua ad rebellantes Iudæos Oratione: Quis vestrum, inquit, non audivit multitudinem Germanorum, virtutem quoque, & magnitudines corporum, (εἶδετε δὴ πᾶς πολλαίνας) ut arbitror, sæpe vidistis, ubique enim Romani quosdam e Germanis captos habent. f) Ex his igitur forte in patriam reduces Civibus, quam a Iudæis acceperant veritatem, fideliter tradiderunt, excutiendo mortis metui facturam, & hac de causa studiosius propagandam.*

Undecunque demum acceperint & habuerint veteres Germani, gratulemur nobis hoc nomine, quod salutarem hanc de corporum resurrectione, ac vita meliore, doctrinam multo ampliore, quam Majores, fiducia tenemus. Non enim ex mera quadam, incertaque traditione, vel nonnullo cum Ebræis commercio, habemus, neque etiam in eadem tuenda solius naturæ simulacris, vel dubiis tantum, & suspectis, artificiis utimur; sed, juxta Symbolum Apostolicum, Numinis ipsius auctoritate innixi, fide divina credimus resurrectionem mortuorum. Enimvero, ut cum AUGUSTINO g) loquamur, vix pauci, magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt. - - - Fides autem ista: totum hominem immortalem futurum, qui utique constat ex animo, & corpore, & ob hoc vere beatum, non argumentatione humana, sed divina auctoritate, promittit.

B 2

Hæc

e) In Germ. antiqv. L. I. f. 264. f) JOSEPHVS de Bello Judaico L. II. c. 16. g) L. XIII. de Trinit. c. 9.



Hæc fides omnis prope solatii apud miseros mortales fons, hæc religionis Christianæ caput, & nervus est. Τὸ γὰρ ΠΑΝ Τῶ Χριστιανισμῶ ἐν τῷ τῆς ἀναστάσεως κῆτει δόγματι, ut THEOPHYLACTVS h) scribit. *Si enim hac in vita solum speramus in Christum, omnium mortalium miserrimi sumus, 1. Cor. XV, 9. Et, si nos non resurgemus, nec Christus resurrexit. Ergo tota nostra fides est vana: ergo adhuc sumus in peccatis, ergo totum Evangelium irritum est & inane.* Absolutæ quippe necessitatis erat, Christum non modo mori, sed & resurgere tertia die, & prædicari in ejus nomine veniam, & remissionem peccatorum. Luc. XXIV, 26. Hinc Paulus hoc de resurrectione caput & ipse acceperat, & aliis tradiderat, ἐν πρώτοις, tanquam primum & præcipuum, sine quo frustra credatur, quicquid creditur, cum spectet ad fundamentum meriti J. C. in quo innititur fides nostra, siquidem Christus factus est *primitiæ dormientium*, & uti propter peccata nostra traditus est in mortem: ita resuscitatus fuit propter justitiam nostram. Rom. IV, 25.

Hæc recolamus, CIVES, mente ad Deum conversa, & quanto feliciores præ majoribus nostris, non lucem doctrinæ hujus, sed umbram, habentibus, simus, sollicitè apud nos reputemus. Resurgamus nunc omnes cum resurgente Christo, quique huc dum alto quasi, ac ferali, peccatorum somno, sepulti jacuimus, velut ab inferis ad superos redeamus! Christus virtute sua nostri omnium quasi sepulchra aperit, evocatque ad vitam, *non in cubilibus & commensationibus, non in rixis & certaminibus, aliisque sceleribus, sed fide, ac bonis operibus, transigendam.* Interpretes divinæ voluntatis, acceptique beneficii præcones, hoc tempore Ecclesiæ sunt ministri. Bene igitur fuerit factum, si, nostrum secuti exemplum, tanto pro Evangelio, gratæ mentis testandæ causâ, numos aliquot in Ara deposueritis. Idque ut promte, ac liberaliter, faciatis, etiam atque etiam Vos hortor.

P. P. in Vigil. Paschal. c 10 10cc XXIX.

h) ad 1. Cor. XV. 3.

WITTENBERGÆ, LITERIS GERDESIÆ, VIDUÆ.



minime vulgarem. Taceo μετεμψύχωσιν, quam, velut quoddam resurrectionis instar, PYTHAGORAM tradidisse constat, a quo Phariseos deinceps accepisse, JOSEPHVS auctor est. Propior vero ZOROASTRES fuit, omnes aliquando reversuros in vitam, opinatus, ut THEOPOMPVS scribit. Aesopum DIS tam charum fuisse, ut revixerit, in SVIDAE historicis legimus. Proxime autem a vero abfuisse videtur SENECA, in verbis: *Mors, quam pertimescimus, intermittit vitam, non eripit: Veniet iterum, QUI NOS IN LVCEM REPONAT, DIES.* h) Exemplis pluribus hoc idem sapientes ipsos corroborare voluisse e FECHTIO, i) qui tamen diligenti omnia examini subjecit, discamus licet. Ex eadem de corporibus aliquando in vitam revocandis persuasione tam egregia edicta Divorum fratrum, & aliorum Imperatorum, Leges, quæ JUSTINIANI Magni Pandectis insertæ sunt, ne scilicet inquietarentur ossa corporum eorum, qui justæ sepulturæ traditi, i. e. terræ conditi fuerant, neque loco moverentur, nisi jussu Pontificum, vel Principum; enatas esse, CAMERARIUS k) suspicatur. Neque vero cur id in Romanis, sapientiæ laude clarissimis, commercioque cum Christianis frequenti usis, magnopere miremur, causa est. Hoc vero fidem prope omnem superaverit, priscis Germanis, quibus nil, nisi virtus militaris, roburque, ac proceritas corporis placebat, in tanta simplicitate, ac rerum omnium ignoratione, quin & densissimis superstitionum tenebris, spem firmam corporum resurrectionis mansisse. JOSEPHVS certe, MELA, & HEGESIPPVS, alique Scriptores, non modo hanc melioris vitæ fiduciam illis tribuunt, sed & eorundem in conferendis manibus audaciam, mortisque contemptum, inde arcessunt. Quod ipsam etiam LVCANVS his verbis insinuat:

A 3

Populi,

h) Vid. *Epist. XXXVII.* i) Vid. *Schediasmata Sacra, Exerc. I. de resurrect. Carnis.* k) *l. c. Cent. I. pag. 457.*



Populi, quos despicit Arctos,  
Felices errore suo: queis ille timorum  
Extimus baud urget lethi metus, inde ruendi  
In ferrum mens prona Viris, animæque capaces  
Mortis, & ignavum est, redituræ parcere vitæ.

De Marcomannis sigillatim, qui duce Ariovisto cum  
Cæsare gesserunt bellum, APPIANVS: *Immites erant  
moribus, animisque ferocissimis, et mortis contemptores, δι' ἐλ-  
πίδα ἀναβιώσεως, persuasione futuri in vitam reditus.* l)  
Quod quum ad laudem ac decus Majorum nostrorum  
spectet, paucis autem hucdum sit observatum, hac  
occasione prætereundum non erat. Nunc autem un-  
de hanc bonæ fidei particulam hauserint, a quo acce-  
perint? disputemus.

Ac rationi quidem humanæ, in cognoscenda car-  
nis *παλιγγενεσία*, seu *possibilitatem* ejus, seu *actum* spectes,  
non omnino nihil tribui oportere, FECHTIVS c. l.  
erudite ostendit. Et vero, si argumentis a natura et  
ratione petitis, hac in causa, locus relictus nullus esset,  
qui defendere illam, contra gentes, majestatem Scriptu-  
ræ negantes, veteres potuissent? Ad naturam illi  
ubique se recipiunt, rationem ubique in subsidium  
vocant. Hinc TERTULLIANVS m): *Totus hic ordo, in-  
quit, revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum.  
Operibus eam præscripsit Deus ante, quam literis, viribus  
prædicavit ante, quam vocibus. Præmisit sibi naturam magi-  
stram, submissurus & prophetiam, quo facilius credas Pro-  
phetiæ, discipulus naturæ.* Pulcre P. CHRYSOLOGVS Ra-  
vennas: *Vade ad semen, Apostolo te docente, tolle triticum ari-  
dum, sine sensu, sine motu, duc sulcum, fode terram, fac se-  
pulcrum, sepeli triticum, inspice, quemadmodum morte deperit,  
humore iurgescit, putredine corrumpitur, et cum pervenit ad  
totum, quicquid desperatio, quicquid incredulitas, quicquid*  
COR-

l) in Celticis. m) L, de Resurr. mort. c. XII. f. 332. ed. Rigalt.



corruptela tibi superius ingerebat, tunc subito reviviscit in ger-  
mine, in herba pubescit, juvenescit in caule, maturescit in  
fruge, & ad illam totam ipsam, quam tu periisse deflebas,  
speciem resurgit et formam. n) Quare LUTHERVS o):  
Plenus est totus mundus testimoniis de resurrectione.

Neque vero a natura solum, sed etiam ab arte, et  
artificialibus παλιγγενεσίας specimenibus, pro eadem  
depromi argumenta possunt. Aliquando enim plan-  
ta reproducitur, denuoque exhibetur, in corpore quo-  
dam umbratili, cujus generis exempla PHIL. IAC.  
SACHSIVS p) allegat. Hujus rei qui causam  
reddere cupiunt, ad spiritum mundi se recipiunt, quo  
de HIRNHEMIVS: q) *Format verum & solidum corpus  
certæ speciei, aliquando vero non, nisi umbratile, quale spe-  
ctatur in palingenesia intra vitrum. Dum enim non potest  
facere, quod vult, ex defectu solidioris materie, facit quod  
potest. Si non potest producere corpus solidum, generat um-  
bratile. Quo cum fere BORELLVS, r) Vir alioqui do-  
ctissimus, aliique consentiunt. At veriolem, iudicio  
nostro, causam KIRCHERVS s) allegat: In Cinere, in-  
quit, salem, in sale, tanquam in centro, latere cujuscunque  
rei vegetabilis virtutem seminalem, ostensum est. Fieri itaque  
potest, ut sal ex plantis, arte non omnibus nota, extractus,  
vni spermetica virtute pollet herbæ: ita quoque inseparabili ei-  
dem connexa modo, dum plasmatia facultas calore tenui &  
leni, in sale, vi seminali, excitatur, ex innato quodam appe-  
titu ad id formandum feratur, ad quod a natura destinatus  
fuit, vi salinis corpusculis, in quibus plastica vis latet, in il-  
lam formam, quam semen postulat, confluentibus; atque adeo  
plantam exhibeant sub ea forma, quam planta, ex qua sal ex-  
tractus fuit, sua natura requirit. Aliquando vero etiam*

rea-

---

n) Serm. CXIIX. o) In Genes. c. XXV. p) in Gammarol. c. 13. §. 4.  
q) in typho Scient. c. 13. n. 8. pag. 153. r) in observat. Medico-  
Phys. Cent. III. Observ. II. s) Mundi subterr. L. XII. Sect. IV. c. V.  
Quest. IV. p. 414.



realis quædam plantarum reproductio sequitur: Cinis enim absinthii (ejusdem KIRCHERI verba sunt) *saltem verbi gratia continet, qui ex cinere extractus, terræque insitus, ejusdem plantæ speciem, ex cujus combustione cinis remansit, videlicet absinthium, t)* producit.

Quod ad *bruta*, Leonem quempiam, vere extinctum, vere quoque resuscitatum fuisse, THEOPHRASTVS credit: KIRCHERVS recte dubitat. SCHOTTVS u) sua pro sapientia, brutum vere mortuum, in vitam revocari, aut reproduci posse, simpliciter negat. Uterque inter animalia omnino *mortua*, & *mortuis* tantum *similia*, nec male, distingvit. Unde vero superior quorundam error manaverit, M. MARCI x) aperit his verbis: *Crediderant antiqui, animas brutorum, ubi corpus desit, in suum privatam chaos & materiam seminalem relabi; & siquidem sui juris est, idem animal repullulare: quemadmodum ex limo ranæ, in quem liquatæ erant: aut in novam, eandemque subordinatam, speciem transferri, ut ex putrefactione vermes, ex his muscarum genus, aliaque insecta nascuntur. Mirum tamen est, quod SCHOTTVS l. c. de anguillis tradit. Anguille, inquit, si defectu aquæ, mortuæ integræ injiciantur in acetum, & permisceatur sanguis vulturis, & sub fimo recondantur, intra paucos dies vitæ restituantur. y)* Verum de his judicium curiosis naturæ scrutatoribus relinquo.

Hominum cum umbras, tum corpora ipsa, licitis etiam artibus, ad *παλιγγενεσίαν* revocari posse CORNEL. AGRIPPA z) sibi, & aliis, persuasum esse voluit. Sed quæ SCHMIDIVS a) *Vratislav. inter somnia, & aniles fabulas, merito rejecit. Distingvendum enim hic fuerit inter veram, & apparentem, tum mortem, tum resurrectionem. Non enim quæ mortua, vel a morte resurgere,*  
*viden-*

c) Mund. Subterr. L. VII. Sect. I. c. II. p. 328. u) In Mirab. A. & N. L. I. c. 36. p. 175. x) Phil. rest. P. IV. Sect. I. p. 390. y) in Mirabil. A. & N. L. I. 36. pag. 173. z) L. de occult. Philos. c. 58. cit Schotto L. I. Mir. art. c. 36. §. 4. p. 174. a) in disp. de resurrect. artific. Sect. II. §. 6.